

Disputatio medica inauguralis de syncope / quam ... decreto & autoritate ... facultatis medicae in florentissimo Tubingensium lyceo, pro doctoralibus in medicina honoribus, insignibus, ac privilegiis ritè & legitimè obtinendis, praeside... Georg. Balthasare Metzgero ... solenni & publicae ventilationi submittit Johann. David Seufferheld, anno M.DC.LXV. die [...] Martij.

Contributors

Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Seufferheld, Johann David.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Gregorii Kneri, [1665]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nc54sk7e>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SYNCOPE,

QUAM

Supremô favente Archiatrô,

Decreto & Authoritate Nobilissimæ & Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Florentissimo Tubingensium

Lyceo,

Pro DOCTORALIBUS in Medicina Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis ritè & legitimè
obtinendis,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

& EXPERIENTISSIMO,

DN. GEORG-BALTHASA-

RE METZGERO, Med. Doct. Praxeos,

Anatomix & Botanices Profess. Publ.

Celeberrimo,

Dn. Præceptore, Hospite atque Fautore suo

omni honoris & observantiæ cultu nunquam non
devenerando,

Solenni & publicæ ventilationi

submittit

JOHANN-DAVID SEUFFERHELD,

Anno M. DC. LXV.

die Martij,

Horis, locoque consuetis.

Tubingæ, literis Gregorii Kernerii.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30763502>

Q. D. B. V.

DEploranda fanè infelix corporis nostri conditio est, quòd suos non modò singulæ partes patiantur manes, sed quò nobiliores hæ sunt, quòque majora oeconomiae humanæ commoda pollicentur, eò gravioribus, eò atrocioribus morborum insultibus exponantur. Exemplo sit vel unicum Cor omnium partium facile princeps, aureum vitalis nectaris aquarium, animæ regia, caloris vitalis fons & focus, vitæ Dominus, omnium facultatum promus condus, quo sine nec esse, nec operari possunt aliæ, unde cæteris alimentum & vita ipsa venit. Tantum verò abest, ut morborum injurias evitare & immunitatem sibi polliceri possit, ut iis potius gravissimis & cum summo vitæ periculo conjunctis prematur, non raro etiam opprimatur. Cum itaque cordis antehac statum naturalem publico Philiatrorum examini subjecerim, non extra oleas me vagari in præsens putavi, si pro demerendis in Arte Medica Doctoralibus Honoribus, in ejus statum præternaturalem, & in specie affectum gravissimum Syncopen paulò diligentius inquirerem, hujusque naturam, causas, differentias, non omissis signis, curationemque methodicam pro ingenii modo moduloque præsentis discursu expendere. Quod operis dum aggredior, Te rogo, Sancta Trias, cœpto succurre labori!

THESIS I.

ANominis ut exordiar, enodatione, ipsa consueta scribendi præcipit methodus, perturbatus enim nominum usus, rerum quoque, secundum *Gal. 3. simpl. 12.* sententiam, perturbat notitiam. Quà igitur etymologiam

Συγκοπή vox Græca Hippocratis ævo incognita paulò ante Galeni demum tempora innotuit, & ἀπο τῆς συγκόπης concindendi, concisis vinculis resolvi dicitur: Cor enim hîc velut concinditur, & virtus omnis, omnia vincula, quibus vita continetur, quasi discissa resolvuntur, ut ægri ferè mortuorum similimi videantur. Nomen hoc, cum propriò aliò caruerint, Latini olim in suam etiam civitatem receperunt, ut hinc inde videre est. C. Celsus tamen Græcam averſatus vocem animæ defectionem, Seneca concisionem, Scaliger spirituum subtractionem, communiter animi deliquium vocârunt. In vernacula nostra Ohnmacht / quasi sine viribus, ohne Macht / secundum F. Platerum de vit. mot. defect. l. 2. c. 10. sonat. Cæterum Veteres ἀψυχίαν, λειποθυμίαν, λειποψυχίαν appellasse, testis est H. Mercurialis l. 2. med. præct. c. 9. quæ tamen ut hodie valent voculæ affectus non quidem specie, quod cum L. Mercato nonnulli volunt, sed gradu & quidem quadruplici distinctos constituunt, quorum primus ἀψυχία sive ἐκλυσις, animi deliquium in specie est, ubi vires subito concidunt, pulsus exiguus redditur, sensu tamen & motu manentibus; alter λειποθυμία sive λειποψυχία majorem virium lapsum cum motûs etiam defectu infert; tertius Syncope, cum adhuc graviore virium jactura sensum etiam aufert, nec vident, nec audiunt nec intelligunt ægri; deniq; quartus ἀσφυξία totalis quæ sensum pulsûs & respirationis abolitio est. Et hic postremus, cum proximus morti gradus sit, & Medici ferè operam eludat; tertius verò priores duos suo sub ambitu includat, de hoc potius quam illis impræsentiarum verba facere mecum constitui, quem ad ductum Pergameni nostri ex 12. m. m. 5. ita describo:

Th. II. Syncope est præceps & subitaneus virium omnium maximè verò vitalium lapsus cum pulsu tantum non abolito, extremorum refrigeratione, sudore frigido, faciei pallore, ob calidi vitalis defectum ortus.

Th. III.

Th. III. Virium præcipitem lapsum peroptimè dici à *Galeno Syncopen*, *Zac. Lusitanus prax. hist. l. 2. c. 9.* plenius probat. Subitus hic sit, ut lentæ cuicunque virium consumptioni contradistinguatur. Ponitur autem hoc ipsò in symptomatum actionis læsæ, & quidem imminutæ sive ferè ad sensum abolitæ classem. Quæ autem potissimum hîc imminuantur, aut ad sensum aboleantur actiones, non ita inter omnes convenit. *Avicenna* fusissimè pariter & diligentissimè, iudice *Mercuriali*, describens syncopen *lib. 3. fen. 11. t. 2. c. 3.* facultates sensibiles & motivas lædi dicit, ne quidem mentione vitalis factâ. Ego omnium quidem actionum lapsum lubens agnosco, potissimum verò & primariò vitales laborare pulsus tantum non abolitus, & respiratio ferè ablata satis arguunt. Secundariò tamen & consequenter animales cæterasque lædi insimul, sensus & experientia itidem demonstrant, & ratio vel invitis facilè persuadet; ut jam circa subjectum innotescet.

Th. IV. Hoc & quidem *principale* Còr est, calidi vitalis ara. Cum enim omnes facultates per Syncopen afficiantur, necesse est, talem partem hîc principaliter laborare, unde reliquum corpus quasi dependet, quæque in consensum cæteras omnes trahere valet: at cui hæc potiori jure debentur quam Cordi? Fons hoc & focus est, unde suum cæteræ partes ignem mutuuntur & fomentum, unde quicquid caloris vitalis, quicquid virium vitalium habent, emendicant & per continuum arteriarum motum hauriunt, hujusque intuitu non malè *Philosophus 3. de part. anim. 7.* Cor omnibus animalibus necessarium esse scripsit propter caloris originem. Laborante ergò hoc, quid miri, si vitalis in eo flamma deficiat, quid novi, si reliquarum, quæ ab hoc omnes dependent, actiones vacillent? Nec satis causæ habuit *Mercatus*, qui ex sensûs & motûs privatione deliquium animi cerebri affectum credidit; ob Cor enim afflictum & illud necessariò pa-

riatur oportet: deficiente cordis igne cessanteque ejus in partes influxu, nec animalis actio, nec vegetativæ vires consistunt, ut docet *Galenus s. de loc. affect. 1.* *Secundarium* subiectum corpus totum, omnesque ejus partes absolvunt, quæ calidi vitalis à corde influxum desiderant. Afficitur autem Cor vel per essentiam, si ob domesticum vitium vitale calidum deficit, vel per cerebri, ventriculi, hepatis, lienis, pancreatis, uteri & cujus non? partium consensum, unde cum reduce sanguine venæ cavæ ope malum non infrequenter transmittitur, ut post dicetur.

Th. V. Ad *causarum* theoriam pergimus: *Immediatam* & proximam calidi vitalis sive spirituum vitalium (nec enim hæc distincta puto) defectum dixi, non omnimodum & totalem, qui ipsa mors est secundum *Aristotelem libr. de vita & morte*, nec levem & exiguum, qui affectum gradu Syncope minorem inferret, sed talem & tantum, qui pulsum tantum non abolere, & vires resolvere potest. Calidum aliquod nativum Cordi inesse non modò, sed & inde in omnes corporis partes continuò influxu derivari multà non eget probatione, cum vix ab ullo hætenus in dubium vocatum fuerit; insitum illud, hoc influens dici consuevit. An verò hoc unicum sit, quò in caleseunt omnes partes & vivificantur, an aliud insuper partibus omnibus primò ortu insitum ceu vitæ & operationum vitalium basis & fundamentum constituendum sit, quod illius influxu, ne nimis maturè ad interitum vergat, instauretur, quæstio h. l. dignissima est. Ego ut quod mihi in præsens videatur, vel binis eloquar, aliorum opinionibus ad conflictum reservatis. Scilicet qui aliud extra Cor calidum cuivis parti à primo ortu insitum quærunt, entia præter necessitatem multiplicare videntur, idque statuere, quod nullum *Φαινόμενον* probat, nulla necessitas suadet, nullus effectus commendat. Quamdiu enim ille è corde ignis per arterias distribuitur, calor quoque vitalis isque actualis
in

in quavis parte sentitur; sufflaminatō eō, ut in Syncope nostraliisque morbis subinde fit, in momento partes extremæ refrigerantur, pallescunt & quasi moribundæ concidunt. Hic quasi vestalis ignis, verba sunt *Godofred. Mæbij in fundam. med. phys. c. 7.* quō lucente servamur, extinctō extingui-mur ipsi. Alterius verò ne rudera quidem nec vestigia us-piam comparent; quod accuratissimè *H. Conringius de calid. innato c. 16.* & alibi pluribus probatum ivit.

Th. VI. Deficit autem calidum hoc vitale, ut multas causas in unum quasi fasciculum colligam, vel quòd non ge-neretur, vel quòd genitum iterum absumatur. Illud viscerum generantis & huic consentientum vitio cuiq; , nec non mate-riæ defectui; hoc suffocationi & resolutioni, à causis occul-tis & manifestis variis inductis, de quibus jam ordine secun-dum *rerum naturalium, non naturalium & præternaturalium* classes videbo, imputandum.

Th. VII. Promiscuè quidem affectui nostro obnoxios esse omnis generis ætatis & sexus homines, neminemque terrifico à malo hoc immunitatem sibi facile præstare posse experientia ipsa testis est. *Quares* tamen *naturales*, pronio-res in illum esse, debiles naturâ, & qui habitum corporis ha-bent delicatum, aut ut loquitur *C. Aurelianus* lacteum, frigi-dos, melancholicos, fœminas præmaribus, pueros & senes præ viris, observationes quotidianæ docent: In illis ob *ἀδύνη-Φαγία* & cruditates vitalis flamma suffocationem; in his æta-tis injuria absumptionem patitur. Nonnulla etiam anni tem-pora feliciùs eundem promovere, populosque nonnullos, re-gionis ob situm in illum magis inclinare usû compertum est. Hûc pertinet nonnullorum idiosyncrasia, quâ omnes sensus, visus, auditus, olfactus, gustus & tactus rerum naturâ inimi-carum hunc effectum inferunt: ubi tamen phantasiâ subin-de cooperari inficias ire vix possumus; ita ex vetularum præ-sentia, quam ferre non potuit, nec tamen semper recusare, in-cidit

cidit Nobilis quidam in gravissimam syncopen & succubuit, *Auctore M. Weinrichio libr. de Monstris*. Fuit, qui fœno incumbere solitus in lectum inductus animo defecit apud *Gr. Horstium epist. med. lib. 2. f. 10.* Sunt, qui felium aut murium præsentiam ferre nequeunt apud *H. ab Heer observ. med. ult.* qui visa anguilla, imò etiam occultatâ præsentî apud *eundem observ. 29.* visâ ranâ vel auditô ejus coaxatu eandem experti fuêre calamitatem. Puer pane visô aut mentione solum hujus factâ, apud *F. Hildanum cent. 2. chir. observ. 41.* alii sanguine visô vel nominato defecerunt. Ex odore rosarum apud *I. Dom. Salam art. med. c. 40. I. Rhodium cent. 3. observ. med. 99.* *Aquæ florum aurantiarum apud Panorollam pentec. 2. observ. med. 38.* nonnulli malum hoc senserunt. Plura qui desiderat exempla, adeat *Barthol. Marant. med. cognosc. simpl. lib. 3. c. 13. p. 262. Schenck. observ. medicas, Amat. Lusit. medic. cent. 2. curat. 36.* aliosq;.

Th. VIII. Inter *non naturales* primas *Aër* tenet, qui inter omnia, quæ corpori accidunt, plurimum facultatis habet, *autore libr. de flatibus*. Cùm enim maxima cum hoc homini communio intercedat, ut sine eo vix momentum temporis superesse possit, nec aliunde ferè morbos quàm ab aëre oriri idem autor l. d. credidit, sive copiosior aut parcius, sive morbidis infectus inquinamenti in corpus subierit; Quà præsens igitur *Calidus* massam sanguineam plùs justô agitât, & spirituosas partes facilè dissipât: Experiuntur infortunium hoc non rarò, qui sub ardentioribus Solis radiis diutiùs versantur, aut balnei ex æstu solitô magis incalescunt, exemplum suggerit *Galenus comm. 2. aph. 41.* vaporosus, fumosus à carbonibus, musto, locis subterraneis assurgens qui sanguinis motum, quem juvare debet, inhibet, ejusdem culpæ arguitur. *Frigidus* constrictis cutaneis poris, retentisque fuliginibus ventilationem impedit, vitalique flammæ suffocationem & interitum minatur; ut enim ignem in foco non ven-

tila-

tilatum suffocari, facem non concussam emori videmus; ita pariter cum animali agi igne comperimur: qui intenso sub frigore iter faciunt, hōc Syncopen modō incurrere possunt. *Occultarum virium* culpā subinde etiam accusandus hīc aēr venit, exempla suppeditant *Hildan. cent. 6. observ. 33. Thom. Bartholinus cent. 4. observ. 42. ut & Horstius lib. 2. epist. sect. 19. Victus quantitate & qualitate* peccans strenuam etiam operam spondet: illa si excedit, crudioris chyli copia vitalem flammam, ut nimia lignorum strues ignem culinarem opprimit, extinguitque, quod periculum *Cous* noster 1. *aph. 3. 2. aph. 4.* jam olim prædixit; si deficit, ut absumpto oleō flamma, ita pabulō subtractō ignis animalis perit, exemplum petere iterum licet à *Galeno comm. 2. aph. 41.* Quā qualitatem cacochymicus cibus cruditatis ferax, acri aut mordaci qualitate ventriculo infensus, facile cor in consensum trahit, ex oleribus venenatis imprudenter comestis syncope accidit apud *Sim. Paul. in παρεμβάσει de febb. malign.* ob aquam, vinum, lac, frigida apud *Schenckium l. 20. observat. med.* ob aquam vitæ nimīā copiā sumtam apud *Hildan. centur. 5. observ. chirurg. 30.* hoc malum inductum fuit. Spectant hūc medicamenta fortiora aut intempestivius data, quæ vires exhauriunt, animum exsolvunt, quod in delicatula alviduca levissima apud *Hein. Heer observ. med. 1. pharmacum in accessione tertianæ intermittentis apud Forestum l. 7. observ. med. 10.* præstitère: evacuationes etiam in excessu aut defectu peccantes hīc quæcunque operosæ sunt, ut ex dictis facile patet, nec exempla defunt, quibus recensendis brevitatis amore jam parco. Somnum & vigilias modum excedentes inculat *Hippocrates 7. aph. 71.* ille excrementis in massa sanguinea & fuliginibus collectis vitalem ignem sufflaminat; hæ & spiritus & quicquid in horum pabulum cedit, corrumpunt & absumunt, quō nomine immoderata corporis exercitia etiam malè audiunt. Animi pathemata quid non valent? ira

quâ nulla pestis vitæ humanæ peior cordique periculofior, hîc perquam est efficax, sanguinem & spiritus vitales violentius agitando, quod & subitaneum gaudium facit; illius historiam lege apud *Zac. Lusitanum l. 1. prax. adm. obs. ult. hujus apud Livium l. 2. dec. 3. Plinium l. 7. c. 32. 32. 36. 53. A. Gelium libr. 3. cap. 15. Val. Maximum l. 4. cap. 12. Ioh. Petrum Lotichium l. 3. observ. Med. c. 4. aliosque.* Terror, timor, contrariô agunt modo, sanguinis & spirituum diffusionem à corde inhibendo, ut cessante influxu animi virium sequatur solutio; timoris apud *Thom. Barthol. hist. anat. c. 4. h. 76.* terroris ex venæsectione apud *Forest. l. 7. observat. 11.* mœroris apud *Amat. Lusitanum cent 7. cur. 1.* effectus videre est.

Th. IX. Inter res præter naturales morbi cordis omnis generis, affectus chronici aliarum partium spirituosum sanguinem consumentes, flatus, faniem, sordes quascunque ad cor transmittentes, vasorum, viscerumque lienis, hepatis, pancreatis &c. obstructions, vermes, febres, dolores orificii ventriculi, alique excedentes, vulnera, tumores, defectus pericardii, sanguis in vasis coalescens, venenati morsus, ictus, & sexcenta alia hinc inde apud Autores obvia. *Carolus Piso de morb. ex colluvie seros. ort. cap. de morbis thor. nervi sexti paris in cor ingredientis obstructionem aut ruptionem jam dictis super addit, quam quidem sententiam sub censuram vocat Sennertus lib. 2. prax p. 4. cap. 6. experientiaque contrariam judicavit A Spigelius, non tamen sine causa hoc idem statuiffe Pisonem censet N. Highmorus corp. hum. disquisit. anat. libr. 2. p. 2. c. 3. ob spirituum interceptionem in nervis factam, cordisque motum impeditum, egregiumque huic sententia subsidium promittit nova illa, quæ jam oculatissimorum Anatomicorum Lugdunensium & Parisiensium theatra anxie parturiunt, de cordis musculis experimenta, quæ ut propitia Lucinâ tandem prodeant, votis omnibus optandum.*

Th. X. Sat de causis; de differentiis etiam ex dictis jam constat, Syncopen aliam idiopathicam, sympathicam aliam esse, aliam per oppressionem & suffocationem, aliam per resolutionem & absorptionem calidi vitalis oboriri, aliam à manifestis causis, aliam ab occultis & venenatis dependere. Differentiam verò inter hanc & cognatos nonnullos affectus monstrare omninò opus est, cum præsertim non labascere hîc in dignotione talium & subito & incunctanter distinguere, difficilimum sit secundum *C. Hoffmannum de loc. affect. l. I. c. I.* Differt autem (1) ab uteri suffocatione, colore faciei, qui in syncope magis mortuorum similis est, minus in hystericis; pulsu, qui in syncopticis ad sensum nullus observabilis; in hystericis, nisi uterque conjungatur affectus, aliqualis adhuc, quamvis languidus, percipitur. (3) sudore, qui in illis frigidus erumpit, hîc nec frigidus, nec alius supervenit. (2) ab Apoplexia; facies ægri in syncope cadaverosa; non item in apoplexia: syncoptici ad sensum non respirant; apoplectici satis validè: pulsus in apoplecticis ut plurimum validus, in syncopticis ferè nullus. 3. ab Epilepsia, quòd syncoptici motus convulsivos non experiantur.

Th. XI. Signa Diagnostica vel imminèntem vel præsentem morbum indicant; imminèntis nosse signa adeò necessarium est, quòd durior illa sententia est apud *Rabbi Mosè 6. aphor.* qui syncopen non prævidit aut prævisam annunciavit, hominis mortui homicida est. Improvisa ergò anxietas, jactatio corporis, languor, vertigo, aurium tinnitus, oculorum caligo, marmarigæ, jamque flavus, jam viridis color oculis obversans, pallor, tremor, labiorum &c. si comparent, causæq; ad producendam syncopen aptæ adfuerint aut præcesserint, instantem affectum denunciant; jam enim vacillare calidi vitalis & spirituum influxum indicant. Præsentem verò intentò quasi digitò monstrant subitaneus & præceps virium omnium lapsus, actionum omnium abolitio, extremorum

frigus, sudor frigidus, facies cadaverosa, pulsus tantum non abolitus & hujus census alia: causæ horum symptomatum ex defectu & denegato influxu calidi vitalis facile patent, ut pluribus demonstravit Excellentissimus *Dn. Præses disput. 3. de fluxu & refluxu sanguinis thes. 3.* Idiopathicam esse colligere licet, ubi cor ipsum propriò vitio laborat; sympathicam, si consentientium cum corde viscerum affectus adsint, & quidem in specie à ventriculo oriri, oris ventriculi dolor, nausea, oris amaror; ex utero, mensium suppressione ortam propria indicia monstrant; aliorum viscerum vitia alia symptomata ostendunt. Quà causas, suffocationem calidi vitalis largior præviis victus, ventilationes prohibitæ, evacuationum solennium suppressiones, crudorum humorum copia, terror, timor, produnt; dissipationem & absorptionem inedia, gaudium nimium, labores excessivi, motus corporis, vigiliæ, cogitæ, curæ, evacuationes nimix manifestant: venenum modo quocunque in corpus immissum symptomata venenorum propria arguunt.

Th. XII. Eventum futurum prognostica signa præfagiunt; quia magnus morbus est syncope, sive à statu naturali recessum, sive partis dignitatem, sive symptomatum violentiam videas, in genere periculum portendit; majus tamen, essentialis si sit, corpus debile invadat, si inveterata sit & sæpè, & sine causa manifesta fiat *s. 2. aph. 41.* si profluvio muliebri superveniat *s. aph. 56.* quod idem judicium de sanguinis profluviiis aliis & immoderatis evacuationibus quibuscunque esto; item si à causa maligna & venenata accidat; pessimum, si ex vulnere cordis fiat, si à reficientium aq. rosar. vini & similium, ut & ptarmicorum usu ad se non redeat æger; ibi quidem

afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas

sanabit nullâ vulnera cordis ope.

hîc vero ob prostratas planè vires mors jam fores pulsât.

Th. XIII. Curatio restat, de qua aurea illa *Hippocratis* 1. *de morb. t. 22.* sententia observanda: occasiones repentinae in his qui animo deficiunt, itaque citò occurrendum. Cùm autem ob extremam calidi vitalis debilitatem & deficientem in partes influxum, sopitis sensibus, prostratis omnibus viribus, æger mortuo non absimilis sit, ideoque quæ scopos curationis, sensus sopiti excitandi, calidum vitale, unde sensuum & motûs defectus dependet, roborandum, collapsæ vires restaurandæ, tandemque singularum causæ præscindendæ. Illa, quæ coacta & extraordinaria curatio audit, in paroxysmo; hæc ordinaria extra eum potissimum locum habet. Igitur ut sensus sopiti excitentur, ægri agitatio, punctio, pilorum vellicatio, avulsio instituitur; dolorifica, frictiones fortes & asperæ, vincula applicantur, odores fortiores naribus, sapes acriores linguæ obijciuntur, sternutationes irritatâ narium internâ membranâ insufflatis piper. pulv. major. lil. convall. nicot. rut. sem. nigellæ, vel nodulô inde confectô & in aceto vel vino macerato adpositô promoventur: frictiones pedum & manuum cum sale, linguæ narium, labiorum palati inunctiones cum theriaca vel etiam confectioe anacardina fiunt. Asperfusionem aquæ frigidæ subitò factam supra faciem magni facit *Galenus* 1. *ad Glaucon.* 14. aceti rosacei alii commendant, de quibus verò & quomodo convenient, videatur *Gregorius Horstius probl. med. dec. 5. quest. 1.* urgente necessitate, si alia ad manum non sint, urina ipsa in faciem ægri projecta aut labiis affricata conducit ob falsedinem experimento *F. Hildani* apud *Georg. Horstium* l. 3. *conf. & epist. med. s. 1. ad decad. 5. quest. 1.* spiritum copiosum naribus inflatum & osculum ab adamata persona infixum à syncope liberare, *Fr. Joel. in praxi* tradit.

Th. XIV. Spiritus refocillantur, vires reducuntur alimentis & medicamentis. Utraque tenuissimæ substantiæ esse convenit, humida potius & potulenta quàm solida &

ficca, cùm solida non facilè assumant ægri, faciliusq; sit potu
 refici, quàm cibo 2. *aph. 11.* & fragranti odore prædita se-
 cundum *Galenum in Com. ad l.c.* Inter illa vinum genero-
 sum primas tenet, quòd celerrimè nutriat & vires mirum
 in modum & celeriter restituat 3. *de temper. 2.* obque hæc
 egregia de vino in viribus erigendis facta experimenta, Pra-
 ctici celeberrimi etiam deliriò, febre aut inflammatione vi-
 sceris alicujus præsentibus in paroxysmo vinum admittunt,
 quùm plus hîc urgeat spirituum refectio, quàm illa prohi-
 beant, *Sennerti verbis lib. 2. prax. p. 4. c. 6.* imò vel ipsis Tur-
 cis, quibus tamen lege cautum est non gustare vinum, syn-
 copticis in accessione conceditur ex testimonio *Riolani de*
morb. cord. c. 15. Præstat tamen si præsens ex vini exhibi-
 tione periculum sit, tutiora nec inefficacia substituere
 alia; ubi efficacissimam commendat aquam carnis *Z. Lu-*
sitanus prax. histor. c. 9. cujus ibi præparationem habet: vel
 dilui potest vinum cum aqua cordiali bugloss. borag. ros.
 violar. & vel per se exhiberi; vel panis eidem intinctus, si ægri
 conditio ferat, sugendus detur. Julapia ex cordialibus cor-
 roborantibus extracta vini vices tueri etiam possunt; juscu-
 la instaurantia & consummata ex gallinis contusis & capo-
 nibus parata suam pariter laudem promerentur. Vino æqui-
 valent spiritus, aq. vitæ cordiales variæ ubique obviæ: inter
 medicamenta cætera, quæ viribus succurrunt, sunt, co-
 rallia, margaritæ, confect. alkerm. moschus, ambra, aro-
 mata, spec. elect. de hyacinth. de gemmis calid. & frig. bu-
 gloss. diamosch. diambr. diamarg. fr. & cal. aq. melissæ cum
 vino, cinam. s. cinam. bugloss. cord. frig. Myns. conf. citr.
 borag. bugloss. meliss. rosar. rubr. confectio citri Mynsicht.
 sir. cort. citr. aurant acetos. citr. rub. id. pomor. de cinam.
 tunic. ol. cinam. citr. meliss. ros. & alia; balsama, linimenta,
 fomenta, sacculi, corroborantia cordialia varia, quorum
 omnium catalogum exhibet *S. Schönbornius man. med. pract.*
titul. de Cardiacis.

Th. XV. Usus horum internus & externus jam vulgo innotuit; de viis autem per quas tam celeriter ad cor ferantur hæc talia idque afficiant, inter paucissimos satis constat. Breviter de internis ita censeo, visis jam lacteis thoracicis; præsertim verò ramulis ab his in œsophagum missis, quorum etiam *Pecquetus exper. anat. cap. 3.* & *Th. Bartholinus de dubiis thor. lact. c. 3.* nec non in *defens. lact. thor.* contra Riolanum meminere, quæque *αὐτοψία* ipsa probat, non opus esse, vel obscuros nescio quos cum Riolo poros quærere, vel gastrica vasa usui longè alii consecrata advocare cum *B. Swalve in quer. ventr.* per illos enim subito & sine ambagibus & virium detrimento cordialium vis spirituosæ cor faciliè superare potest. Externa etiam sive naribus inungantur, sive pulvis, manuum volis, pedum plantis imponantur, sive cordis regioni, hepatis, testibus, axillis, aut alio quocunque modo locoque applicentur, sanguinem transeuntem quam maximè afficiunt & vires suas cum sanguine refluxo in cor transmittere nōrunt, id quod circuli leges plenius comprobant.

Th. XV. Ita excitatō ægrō & viribus aliquō modō erectis, causarum ratio habeatur, ne recidiva fiat relictâ causâ ex *2. s. aph. 12.* Hic autem pro causarum varietate variis iterum opus est auxiliis ex consueto triplici remediorum fonte scaturientibus; & quidem *1. Chirurgia Venæsectionem* subministrat, auxilium in edomando hocce malo sæpè divinum, quod ægrum non rarò ex orco quasi & mortis faucibus reducit, ubi nimirum ex plenitudine & oppresione laborant vires; ut enim secundum similitudinem *Galeni 4. de victus ratione 121.* igni jam suffocando sub nimia lignorum strue aliquid lignorum subtrahimus, & ipsum reviviscere facimus; ita flammæ vitali, subtractâ oneris parte, quæ suffocationem minabatur, feliciter succurrimus; casum notatu dignum descripsit *Panarolus pentec. 1. observ. med. 13.* ipsoque in paroxysmo id fieri jubet *Hippocrates 4. acut.*

acut. 28. Si verò ab inanitione aut resolutione spirituum contigerit malum, post immodicum fluxum sanguinis, sudorem excessivum &c. locum non habet, nisi forte revulsione, ut communiter loquuntur, sive aversionis ergò requiratur; ubi tamen summâ cautione opus est, ut quam maximè viribus parcamus. Quà venam secandam & sanguinem deplendum, fundamento quidem omni carere religiosum illum venarum selectum, ex sanguinis motu circulari jam abunde constat: interim ob alias circumstantias jam inferiores venas jam superiores incisioni magis aptas esse, omninò statuo. Quantitatem exhauriendam determinat sanguinis abundantia, virum robur, corporis constitutio &c. *Z. Lusitanus* in muliere ex mensium obstructione syncoptica largissimam cum successu instituit, *lib. 1. prax. admir. observ. 145.* sed repetitis vicibus, quod omninò magis probandum, quàm si una vice cum virium jactura simul & semel fiat. In paroxysmo si extremorum frigiditas præcesserit aut adfuerit, & sanguis velut concretus sit, jubet *Hippocrates l. c.* fomenta calida prius adplicari, ut dissolvatur sanguis & è vulnerata vena faciliùs effluat, cui etiam scopo frictiones conveniunt. Vicariam venæsectionis operam locant cucurbitulæ scarificatæ, pro causarum conditione jam infrà jam suprà affixæ; si à morfu aut ictu venenati animalis orta sit syncope, parti læsæ conveniunt pro virûs extractione. Non scarificatæ in nimio uteri profluvio mammillis communiter applicari volunt; quod commodius, me quidem iudice, & majori cum successu ad hepatis vel etiam lienis regionem fieret, rationes in conflictu afferam; à cachexia si foveatur affectus, fonticuli etiam spem aliquam faciunt, ut in cachexia venerea expertus est *Zac. Lusitanus prax. hist. lib. 2. cap. 9. observ. 4.*

Th. XVII. Chirurgiam sequitur *Pharmacia*, quæ tot etiam arma pro debellanda syncope suggerit, quot hujus causæ occurrunt. Cùm ergò vel à cordis vitio proprio vel ex con-

fer-

sensu aliarum partium oriatur, à materia vel quantitate vel qualitate, eaque manifesta aut occulta peccante, hûc etiam medicamenta omnia dirigenda veniunt. Cordis itaque quicumque morbus si adsit, suis, quantum quidem fieri potest, is medicamentis corrigendus, auferendus, aliunde etiam per sympathiam si laboret, illis etiam partibus debite prospiciendum, quæ ex propriis singula classibus petantur, ita tamen ut cordis pariter & viscerum principalium ratio semper habeatur ex 12. m. m. 5. Syncope ex utero spiritu vitrioli cum aq. ad aciditatem permisto curata fuit apud *L. Riverium cent. 4. observ. med. 41.* alia à liene humorem melancholicum evacuantibus, lienem deobstruentibus, epithematibus & misturis cordialibus sublata apud eundem in *annexis observationibus morb. infrequentium 8.* Si à crudis, viscidis, frigidisque ventriculi humoribus, vel etiam calidis, acribus, biliosis, dependeat, ad ventriculum eundem, illique attenuandi, incidendi; hi contemperandi, refrigerandi; ibi fir. de hyssop. è 5. rad. byz. de absynth. oxym. & aromata omnia; hîc fir. violar. è succo bugloss. julep. frigid. conveniunt. Post modestioribus purgantibus evacuandi, agar. fir. de fenn. rosar. sol. viol. f. è cichor. c. rhab. è carth. mann. el. è psyll. tamar. decoct. tamar. pil. aloet. aloephang. in biliosa materia etiam lenes clysteres conveniunt: externa quoque ventriculo applicari possunt humorum naturæ apta, quorum farrago ubique prostat. Si materia sursum versus inclinet, mitior vomitio etiam conducit, præcipuam autem & primam laudem meretur hæc, si malignus aut venenatus humor ventriculum affligit; quâ peractâ, theriaca, mithridatium & alia alexipharmaca offerenda, sique ab his ardorem sentiat æger, lac, butyrum & juscula pingua cum cardiacis frigidis & corrosivam vim obtudentibus exhibenda. Ubi cognitum venenum est, optimo consilio specificum ejus antidotum in subsidium vocatur: Zedoariam in

omni veneno admittit Rondeletius, plurimum etiam tormentillæ tribuit *lib. 3. m. m. cap. 7.* In inedia refectione opus est cum vino generoso, melle, saccharo, crusta panis, pane saccharato martio &c. iisdem imbutis, aquis & destillatis instaurantibus, eupeptis, euchymis quibuscunque, emulsionibus corroborantibus pinear. amygd.; notetur tamen hîc *Coi nostri* monitum 2. *aph. 7.* quæ lento tempore extenuata corpora, lentè reficere oportet, quæ brevi, celeriter. Quæ eadem ferè locum habet, si immodica evacuatio in causa sit, verbi gratia, vomitus, alvi, sudoris, sanguinis quæ si adhuc duret, sistentibus simul & cohibentibus agendum est, ibi theriaca non nimis vetus, terra sigillata, bolus armen. in vino cydoniorum, mica panis cum vino rubro, miv. cydon. cum sir. de cinam. propinanda. *Zac. Lusitanus* electuarium crystallinum in alvi fluxu maligno decantatum describit *l. c. prax. hist. observ. 3.* si necessitas jubeat, philon. roman. laudanum opiatum superaddenda, nec ventriculum corroborantia externa negligantur; isthic sanguinis fluxui præter naturam sua quoque aptanda; hîc cutem adstringentia aqua frigida rosac. vel sola vel cum aceto mista faciei inspergenda, frigida epithemata, cordi, hepati, testibus, pedibus applicanda, præsertim verò unguenta spinæ dorsi illita congrua sunt: intus sirup. granat. acetosit. citr. limon. rib. acetosell. optimi sunt. Animi de liquii ex nimia venere curationem notavit *Timæus lib. 2. de morb. pector. cas. med. observat. ult.* Vermes si urgent, specificis suis aggrediendi, expellendi: succus allii cum vino datus *Z. Lusitano prax. hist. observ. 15.* magnus est. Flatibus adversantur carminantes clysteres, spec. diacym. diagalang. diacalaminth. electuar. de bacc. laur. spiritus, aquæ, olea carminativa, inunctiones ol. aneth. chamæm. & similium; electuarium de ebeno hic prædicat *Z. Lusitanus l. d. observat. 2.* congelatum sanguinem fundunt & motui suo restituant diaphoretica, quæ si mali-

gni-

gnitas suspecta simul sit, alexipharmaca sint; carduus benedictus, fumaria, galega, scordium, mistura simplex, pilulæ theriacales hæc locorum usitatæ Greiffianæ. Dolor anodynus mitigandus, contumax etiam narcoticis, observatis observandis, compescendus est. In venenatis causis cordi adversantibus *Panarolus* summitates tenues frondium mali citri forcipe incisas post calefactas aqua rosarum imbutas cordi externè apponere jubet *pentec. 3. observat. med. 40.*

Th. XVIII. Tandem etiam *Dieta* accedit, cujus ferè potissimæ extra paroxysmum partes sunt in causis externis amputandis & avertendis. Aër igitur temperatus sit ab omni inquinamento & sorditie liber, nec infectus fumò lignorum putridorum aut venenatorum, quò ipsò non nemo apud *Conciliatorem tract. de venenis cap. 3.* balneum ingressus ex lignis de cavernis serpentum excisis calefactum mortuus legitur, idemque fatum alius apud *Gesnerum s. de serpent. expertus fuit.* Corrigitur ille, ubi opus est, aq. rosar. citr. aceto, floribus fragrantibus cordialibus per pavementum sparsis aliisque in conclave effusis, suffumigiis item convenientibus illatis. Arabes poma & Persica in cubiculum reponere jubent, ut horum odore cor recreetur. De cibo & potu ex jam dictis constat: ubiq; quidem vires reficere aptus natus optimus, pro varietate tamen causarum in quantitate & qualitate varius requiritur. In copia sanguinis & cruditate humorum parcus laudatur; hic enim, ut in aliis multis magnis morbis, quamplurimum valet abstinentia: vinum extra paroxysmum non omnibus tutum, ubi convenit, sit interdum tenue interdum forte; prohibentia recenset *Galenus 1. ad Glaucon. 24.* extenuatis lac muliebre vel asininum, resolutis viribus, juscula consummata, gelatinæ, contusa, succus ptisanæ conferunt, unde etiam si æger ore cibum sumere non potest, clysteres nutritives ex Arabum Græcorum & Latinorum consensu fieri possunt; si malignitatis suspicio adest, condiantur succo citri,

acet. granat. limon. Pariter de excretis jam supra constitit: re-
 tenta symbolum suum conferre vel ex eo patet, quòd fuligi-
 nes, excrementa omnia, flatus, in corpore cumulent. Hæc
 ergò si moram longiorem faciant, propellenda, illa si exces-
 su peccant, inhibenda. Somnus & quies tempestivè adhi-
 bita resolutis spiritibus; vigiliæ & motus oppressis & tantum
 non suffocatis medentur. Animi affectus immoderati ar-
 ceantur; summatim aurea ubique mediocritas amplecten-
 da. Et hîc filum abrumpo : D E O interim Ter
 Optumo, Maximo, Cœlesti Archiatro pro
 innumeris toto vitæ curriculo exhibitis be-
 neficiis & ineffabili ad studium Medicum per-
 texendum concessa gratia, sit laus, ho-
 nor & gloria in sempiterna
 secula.

F I N I S.

